



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Vniversae Theologiae Speculativæ, Sacramentalis,
& moralis**

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

De Ordine.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42284

LIBER IV.

DE ORDINE.

CAP. I. **A**ctio illa sensibilis qua homo ab Episcopo consecratur, & acquirit potestatem ordinis, habet veram rationem sacramenti.

Ref. 1. Ordinatio Episcopi verum habet rationem sacramenti, & per eam confertur gradus nobilior sacerdotio.

Quando ordinatur Episcopus, tres Episcopi imponunt simul manus capiti illius, & simul dicunt hæc verba, Accipe spiritum sanctum, &c.

Illa manuum impositio est materia hujus sacramenti, verba vero prædicta formam illius consti-

tuunt.

Ref. 2. Ordinatio sacerdotis est verum sacramen-

tum, habens duas materias, & duas formas parti-

ales.

Prior materia est traditio calicis & patenæ, cum pane & vino, forma, verba illa, accipe potestatem offerendi sacrificium, &c.

Posterior materia est manuum impositio facta ab Episcopo, forma vero verba illa, accipe Spiritum sanctum.

Ref. 3. Ordinatio Diaconi verum est sacramentum, habens duplēm materiam partialem, & duplēm formam.

Prior materia partialis est impositio manuum; forma vero, verba illa, accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo, & temptationibus ejus.

Posterior materia consistit in traditione libri Evangeliorum; forma autem in verbis illis, accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, &c.

Ref. 4. Ordinatio Subdiaconi verum est sacra-

mentum,

DE ORDINE.

III

tum, habens duplēm materiam partialem, & duplēm formam.

Prior materia est porrectio calicis & patenæ, sine pane & vino; forma, videte cujusmodi ministerium vobis traditur, &c.

Posterior materia est porrectio libri Epistolarum, forma verò, verba ipsi respondentia.

Subdiaconus potest vas sacra contingere, nisi quādiu corpus & sanguis Christi in iis continentur.

Probabile est ordinationem inferiorum clericorum esse verum sacramentum; non autem ordinationem psallentium, vel laborantium in sepultura.

Ex probabiliori, & tutiori sententia est de essentia prædictarum ordinationum, ut instrumenta quæ in iis porrigi solent, physicè contingantur.

Quando per varia instrumenta diversæ potestates traduntur, ea omnia physicè tangi debent, ut valeat sacramentum.

At quando datur eadem potestas, sufficit ad valorem, si unum physicè tangatur: omnia tamen ex præcepto realiter tangenda sunt.

CAP II. Ref. 1. Solus Episcopus est minister ordinarii sacramenti Ordinis. Potest tamen simplex sacerdos ex commissione summi Pontificis, minores ordines conferre.

Episcopus non potest validè consecrari, ex Pontificis commissione, à simplici sacerdote.

Non potest sacerdos, ex Pontificis dispensatione, validè consecrari à non Episcopo.

Ex commissione Sūmi Pontificis, potest sacerdos nō Episcopus Diaconatum, & Subdiaconatum cōferre.

Ref. 2. Ad valorem ordinationis necesse est, ut qui ordines suscipit, sit vir, isque baptizatus.

Presbyteræ olim dicebantur viduæ seniores, quæ aliis ratione ætatis præerant, vel fœminæ quarum mariti ad sacerdotium electi erant.

At Diaconissæ dicebantur, quæ sacerdoti mulieres baptis-

baptizanti inserviebant, aut quarum mariti ad Diaconatum electi erant.

Ref. 3. Infantes validè possunt ordinari ante usum rationis: in adultis tamen requiritur consensus, ad valorem ordinationis.

Ad subdiaconatum requiruntur 22. anni inchoati, ad Diaconatum 23. ad presbyteratum 25. verum ad Episcopatum requiruntur 30. anni completi.

Ad primam tonsuram & tres ordines minores sufficient septem anni: Acolytatus autem non nisi anno 12. expleto conferri debet.

Qui gravi metu ad susceptionem ordinum injustè compellitur, non tenetur castitatem servare.

Ref. 4. Sacramentum ordinis confert gratiam, & characterem. Quod ita intellige, ut non tantum maiores, sed etiam minores ordines utrumque hunc effectum producant.

Quando ordinatus ponit obicem gratiæ, solum characterem recipit: recedente tamen postea fictione, gratia illi confertur, vi præcedentis ordinatio-

nis.

Degradatio est pœna Ecclesiastica, qua clerici privantur functionibus omnibus Ecclesiasticis, & privilegio clericali, non tamen charactere.

Ref. 5. Sacris ordinibus initiati, nempe sacerdotio, diaconatu, & subdiaconatu tenentur castitatem servare.

Lex tamen continentia non est annexa aliis ordinibus, qui minores appellantur.

DE MATRIMONIO.

CAP. III. Ad valorem sponsalium requiritur
Ref. 1. A promissio exterius facta sive hoc fiat verbis, sive scripto, sive alio modo consensum exprimente.

Ref. 2. Requiritur etiam ut promissio sit mutua, & ex deliberatione ad peccatum sufficienti procedat.

Non